

Gaude primævi libera labe patris .

Sed his antiquior Adamantius Origenes hanc sententiam expressit locutione sublimi, & figurata (ut erat factus ad Platonis ingenium) sed tamen perspicua (a): *Audite omnes filie Evæ, & latamini, audite, quod Virgo concipiet, non ex desiderio partum concipiens, quæ neque serpentis persuasione decepta est, neque afflatibus ejus venenosis infecta.*

Princeps inter Latinos enodanda quæstionis de originis labe, deque gratiæ necessitate ad cavendum peccatum, fuit Augustinus, qui & nominatim Sanctissimæ Dei Matris meminit, & hanc ipsam a communi sorte, atque lege noxæ originalis excludit. Hujus trita, & pervagata sententia est in libro de natura, & gratiâ capite trigesimo sexto: *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere vobis quæstionem: inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendam omni ex parte peccatum, quod concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta &c.* Si peccati species, & quasi partes, in quas illud tribuitur, istæ sunt, originale, mortale, & veniale; & gratiâ Virgini data est ad vincendum omni ex parte peccatum; vicit utique illa originale. Vicit autem actionis peccatum, non debellando, quod senserit aliquamdiu, sed omnino non sentiendo. Idem ergo judicium de originis culpa faciendum est, siquidem omne peccati genus intelligit Augustinus. Sic eum vero intelligere, præter illa, quæ dicta sunt, aperte indicant, quæ sequuntur. Nam Pelagio objicienti, quorundam justorum in sacra Scriptura nullum peccatum commemorari, ut Abel, Enoch, Abraham, aliorumque complurium; simul hoc inculcanti (b), *Quorum justitia meminit, & peccatorum sine dubio meminisset, siqua eos peccasse sensisset; tum concludenti, Credamus igitur, quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus.*

(a) Homil. 1. in Matth.

(b) Cap. 37.